

aliqua præterita accidit: contingere autem potest hominem alias recte dispositum ad utendum ratione ita esse affectum in aliquo negotio, vel materia, ut illa proposita statim vehementer commoveatur, et organum phantasiæ alteretur: et ideo eo tempore non potest uti ratione: tamen pro tunc indispositus vere est in quacumque materia.

7. Aliam difficultatem huc pertinentem tractat D. Thomas 1, 2, q. 15, art. 4, an electio requirat directionem superioris rationis, vel sufficiat inferioris: sed quia, quod hic est difficile, pertinet ad materiam de peccatis dico breviter, electionem, vel consensum, quatenus actus humanus est, et liber, per se dirigi posse non solum a ratione superiori, sed etiam ab inferiori, quia ratio inferior vere ratiocinatur, et iudicat, licet per principia inferioris ordinis: tamen prout is actus habet rationem culpæ, interdum inferiori rationi, interdum superiori tribuitur, ut eo loco latius dicam.

DISPUTATIO IX.

DE USU ET IMPERIO.

Diximus de actibus pertinentibus ad ordinem intentionis, nunc breviter de his, qui ad ordinem executionis pertinent, de quibus D. Thomas 1, 2, quæst. 16 et 17.

SECTIO I.

Quid sit usus, et quod ejus objectum.

1. *Varie usurpationes usus.* — Usus apud theologos, omissis aliis significationibus, a fruitione distinguitur, et illi quasi opponitur, ex Augustino, de doctr. Christiana, cap. 3, ubi ait, uti esse id, quod in usu venit, ad id, quod amas obtinendum, referre. Nota tamen, in re amata propter aliam posse versari et electionem et facultatem etiam aliquam inferiorem eam rem exequendo; et in hoc ultimo consistit, vel perficitur usus: et ideo D. Thomas dixit, usum significare applicationem ad operandum. Sciendum autem est, applicationem potentiæ exequentis non habere rationem usus, nisi ut est actio voluntaria ad finem ab ipso operante relata, et ideo bruta non utuntur proprie: quapropter in ipsomet usu distingui debet et actio exterior ipsius potentiæ, quæ ad exequendum opus applicatur, et actio interior illius potentiæ, quæ exteriorem applicat. Dicunt ergo quidam, usum proprie esse illam ac-

tionem externam, et ideo, usum non esse actum elicatum a voluntate, sed imperatum. Alii vero cum D. Thoma dicunt interiorem illam actionem esse usum: et consequenter dicunt esse elicatum a voluntate. Sed forte dissentio est in verbis, nam in re constat usum compleri in ipsa executione. Certum etiam est, præcedere ante istam executionem aliquem actum interiorem appetitus, qui est causa exterioris actionis humanæ. Quare non mihi displicet illa distinctio communis usus in activum, et passivum, juxta quam.

2. *Prima assertio.* — Dico primo: usus activus est actus elicatus a voluntate. Probatur, quia voluntas est, quæ movet cæteras potentias ad operandum: sed non movet, nisi per actum ab ipsa voluntate elicatum: ergo per illum utitur inferioribus potentiis, et actibus earum; imo et intellectu et se ipsa, quatenus se ipsam applicat ad exercitium actus.

3. *Secunda assertio.* — Dico secundo: usus passivus est in exteriori potentia exequente. Patet, quia est usus procedens ab usu activo: et ideo dicitur passivus, quamvis respectu ipsius rei exterioris, vel interioris extrinsece habeat quamdam actionem activam: sic enim motione manus utor calamo, et dici potest activus secundarius: vide Durandum, in 1, d. 1. Sed dices, etiam actus appetitus sensitivi habet rationem usus. Respondetur breviter: in homine hic appetitus non potest movere alias potentias nisi consentiente voluntate: et ideo consequens usus tribuitur voluntati, præcipue moraliter. Et præterea usus, ut supra dixi, proprie importat actum perfecte voluntarium: et propterea ipsamet motio appetitus sensitivi non habet rationem usus, nisi ut subest voluntati. Et his facile definitur, quod sit objectum hujus actus.

4. *Tertia assertio.* — Unde dico tertio: usus proprie est de mediis. Est D. Thomæ, et omnium ex Augustino supra, et probatur ex vi nominis: nam usus significat motum quemdam. Et confirmatur; nam usus versatur immediate circa nostras actiones humanas, quæ sunt media ad cognoscendum ultimum finem ex Augustino 11, de Civitate, cap. 25. Et ex hoc colligitur proprie, et immediate usum, qui est actus voluntatis, versari circa interiores potentias, et actiones hominis; quia est applicatio potentiarum ad opus: tamen ex consequenti, et mediate versatur circa res exteriores, prout eas ad nostras actiones ordinamus, vel prout sunt materiastrarum actionum: quapropter nulla re uti dicimur, nisi subjecta sit

nostræ voluntati. Quod variis modis contingere potest, nam aliquando subicitur tanquam instrumentum; aliquando tanquam materia, vel objectum; aliquando solum, quia est nobis illa res commoda.

5. Sed objices; nam sequitur, nos non posse uti Deo contra Augustinum. Probatur, quia est nobis valde utilis; et possumus illum diligere propter nostrum commodum. Confirmatur primo; nam beati saltem dicuntur uti Deo tanquam objecto et speculo, in quo omnia vident. Confirmatur secundo, nam utimur sole, et Angelis etiam; quæ tamen res non subsunt nostræ voluntati. Respondetur ad argumentum primum, nos non uti Deo, sed possumus uti actionibus circa Deum, id est, amore secundo. Aliud est, Deum esse utilem nobis, et ideo amari; quod interdum fieri potest amore etiam honesto, licet non perfecto. Aliud est uti Deo, quod fieri recte non potest; tum quia non est in potestate hominis, applicari Deum ad efficiendum id quod sibi est utile; tum etiam quia licet amor Dei possit referri proprie in nostram utilitatem, tamen non ultimate, sed tandem debet terminari in ipsummet Deum. Unde ad confirmationem respondetur, beatos non proprie uti Deo: præcipue quia operationes, quas beati exercent circa Deum, sunt necessariæ, quæ tamen, ut ex dictis patet, debent esse liberæ. Ad confirmationem secundam respondetur, non esse locutiones illas adeo proprias: omnes tamen dicunt ordinem ad nostram voluntatem, et operationes: utor enim sole quatenus est in potestate mea, non illum mihi, sed me illi applicare: et quodammodo utimur Angelis, quia volumus juvari orationibus, vel auxilio eorum.

SECTIO II.

Utrum usus sit actus ab electione distinctus.

1. *Prima sententia.* — Prima sententia negat, ita Aureolus apud Capreolum, in 1, d. 1, q. 2. Fundamentum est, quia habent idem objectum, nempe bonum propter aliud appetendum. Confirmatur, nam supra dixi, electionem esse voluntatem efficacem, ex qua sequitur opus. Sed hæc eadem est ratio usus: ergo, etc.

2. *Secunda sententia.* — Secunda sententia communis Thomistarum est hos actus ex propriis rationibus semper esse distinctos: fundamentum est, quia electio est quasi simplex voluntas, et intentio circa finem: usus autem

non sic. Confirmatur primo, quia electio sequitur immediate post iudicium consilii, et antecedit executionem, usus vero non est, nisi in executione ipsa, unde non sequitur immediate post iudicium, sed post electionem, et imperium. Confirmatur secundo: nam usus non proprie versatur circa medium, sicut electio, sed circa potentiam exequentem, quod ad opus applicat.

3. Nota, electionem duobus modis posse fieri: uno modo quasi abstractivè, determinando scilicet medium, non tamen omnes particulares circumstantias, scilicet hic et nunc, et hoc modo exequendas. Secundo modo potest fieri electio cum totali determinatione circumstantiarum particularium.

4. Dico primo. Electio cum fit priori modo, non est usus. Hoc probant rationes secundæ sententiæ, et præcipue, quia ex vi hujus electionis potentia non applicatur ad usum. Et de hac electione intelligendus est D. Thomas, cum 1, 3, quæst. 16, art. 4, dicit electionem antecedere usum: moraliter enim, et fere semper ita fit, ut prius fiat consilium, et electio de medio secundum se, quam tractetur de executione: licet interdum accidat, adeo esse breve tempus, quod inter electionem et usum intercedit, ut vix percipiatur.

5. Dico tamen secundo, per se simpliciter loquendo, necessarium non esse electionem tempore antecedere usum: et tunc electio et usus non sunt actus re distincti. Prior pars probatur, quia nihil impedit quominus intellectus subito determinet medium, et circumstantias omnes, et voluntas in eodem instanti, in quo eligit medium, eligat circumstantiam et actualem executionem. Secunda vero pars patet ex fundamentis primæ sententiæ: et præcipue, quia ex vi talis electionis sequitur actio potentiæ exequentis.

6. Dico igitur tertio. Electio et usus secundum se non videntur actus formaliter, vel essentialiter distincti: sed frequenter differunt secundum majorem, vel minorem determinationem circumstantiarum. Patet ex dictis, et ratio præcipua est, quia ibi actus tendunt in objectum sub eadem ratione boni, nempe ut est utile ad consequendum finem, et hoc est essenziale: illa vero alia differentia videtur plane accidentaliter. Et hoc est juxta confirmationem primæ sententiæ. Neque obstant argumenta secundæ.

7. *Ad fundamentum primæ sententiæ in numero 2 ejusque primam confirmationem.* — Quare ad fundamentum respondetur, electio-

nem etiam versari circa medium in ordine ad executionem: unde, quod hæc executio vel statim, vel in posterum determinetur, non arguit differentiam essentialem, sed solum secundum magis et minus accidentaliter: et ratione hujus majoris determinationis fit ut ad usum sequatur opus, et non ad electionem, quando fit sine ista determinatione: quia exercitium operis requirit determinationem omnium circumstantiarum. Ad secundam respondetur ipsummet usum potentiae exequentis esse velut unum ex mediis necessariis ad consequendum finem: et ideo eandem rationem boni, et appetibilis participat: unde non arguit distinctionem essentialem. Secundo non sequitur, ad executionem operis esse necessarium ut voluntas directe, et quasi in actu signato velit applicare potentiam exteriori ad opus: sed satis est, hic et nunc velle istum effectum, nam statim propter naturalem connexionem potentiarum sequitur opus, ut maxime patet in usu ipsius intellectus. Et ita intelligitur facile D. Thomas, in illo art. 4, ad 1 et 3.

SECTIO III.

Quis actus intellectus antecedit usum, et simul quid sit imperium, et quomodo distinguatur ab usu.

1. *Datur in nobis imperium.* — *Prima sententia quid sit imperium.* — Auctores omnes conveniunt, reperiri in nobis internum quoddam imperium, quo nobis ipsis imperamus: quoniam imperare est inferiorem movere, et ordinare opus. Homo autem per potentias superiores se movet, et ordinat ad operationes inferiorum potentiarum: unde in nobis distinguimus actus elicitos et imperatos, ut infra dicetur: vide D. Thomam, quodlib. 9, a. 12. Itaque dari imperium certum est: quid autem sit, non constat inter auctores. Multi censent esse ipsummet actum activum voluntatis: ita Scotus, in 2, d. 36, d. 1, Medina, *Codice de Penitentia*, tract. de Oratione, c. 2. Fundamentum præcipuum est, quia finis imperii est movere, et ordinare: sed movere inferiores potentias est proprium voluntatis, ut constat ex dictis. Ordinare etiam, inquit Scotus, convenire potest voluntati, vel per se, quia potentia immaterialis est: et hoc sufficit, vel saltem quasi per participationem ab intellectu. Confirmatur: nam imperium proxime respicit executionem: ergo est illud, ex quo immediate oritur executio: oritur autem immediate ex

usu activo voluntatis, ut ex dictis patet, et in potentiis brutorum ostenditur manifeste. Nam motiones exteriores ab appetitu manant sine aliquo alio imperio.

2. *Secunda sententia, variaeque illius explanationes.* — *Ejus fundamentum proprium.* — Secunda sententia affirmat actum imperii pertinere ad intellectum. Ita divus Thomas, 1, 2, q. 16, a. 1, et q. 90, a. 1, Cajetanus, his locis, Soto, 1, de Just., q. 1, a. 1. Tamen Thomistæ non conveniunt in explicando rem hanc. Nam quidam dicunt hoc imperium antecedere actum voluntatis. Alii electionem: alii, solum esse post electionem, sed ante usum. Alii etiam volunt, esse post usum activum voluntatis, et immediate cadere in potentiam exequentem. In hoc tamen convenire videntur, quia omnes putant, istud imperium esse actum distinctum a iudicio intellectus, et consistere in impulsu quodam, qui explicatur hac voce, *fac hoc*. Et Aristoteles 3, *Ethic.*, c. 10, manifeste distinguit imperium a iudicio, et utrumque dicit esse actum prudentiae. Et ex Augustino 13, de Civ., c. 7. Fundamentum proprium est, quia intellectus est ordinare unum ad aliud, et hoc est effectus imperii.

3. *Duo præsupposita pro resolutione.* — Suppono primo, nos hic loqui de imperio, quo quis sibi ipsi imperat: nam de imperio, quo aliis imperat, agendum est in materia de legibus: licet hinc petenda sint fundamenta. Secundo suppono, hominem dupliciter seipsum movere, et sibi imperare, primo, quasi in actu exercito, dum se movet ad aliquid agendum: quamvis explicite non exprimat illum actum, *fac hoc*. Alio modo quasi in actu signato vel expresse signando illum actum, juxta illud: *Spera in Domino*: et illud: *Convertere animam meam in requiem tuam*.

4. *Probabile in hac questione.* — *Secundum.* — His positis hæc censeo in re probabiliora. Primum ante electionem antecedere iudicium practicum, et non alium actum ab illo distinctum, qui possit dici imperium. Hoc supra dixi et probavi. Secundum post electionem illam, quæ abstrahit ab executione ante usum, natura saltem præcedere, et necessarium esse aliud iudicium magis practicum in hoc distinctum a iudicio, quod præcedit electionem, quia immediatius attingit opus, et omnes determinatas circumstantias necessarias ad operis executionem. Et hinc est quod vehementius etiam movet voluntatem non tam virtute sua, quam virtute electionis jam factæ: ratio est, quia ante omnem actum voluntatis debet antecedere

iudicium intellectus illi consentaneum, a quo dirigatur et illuminetur: sed usus activus est actus voluntatis, quid aliquid addit illi electioni jam factæ: ergo, etc. Et hoc iudicium merito dici solet practice practicum, seu omnino practicum; quia omnino, et prorsus ordinatur ad executionem operis, et magis inclinatur ad vincendam difficultatem operis, quæ tempore executionis major semper apparet, quam in consultatione et electione abstracta.

5. *Tertium.* — Tertium, præter hæc duo iudicia practica reperiri in nobis actum illum, quem experimur, cum nobiscum ita loquimur interiori, *fac hoc*, qui actus non est iudicii, sed interior quædam locutio, qua homo sibi ipsi explicat vel rationem, vel voluntatem operis exequendi. Nam sicut exterius alloquimur, vel enuntiando, vel imperando; ita etiam interiori nobiscum: et hæc interior locutio, sine dubio, est actus intellectus, quia fit per conceptus interiores, et quia est expressio proprii iudicii, vel affectus.

6. *Quomodo fiat actus interior imperii?* — Quod si quæras, quomodo fiat, arbitrator, illum actum non existere, neque fieri per conceptum, quem vocant ultimum, sed per conceptum non ultimos ipsarum vocum non solum interiori apprehendendo voces ipsas, sed in actu exercito, seu loquendo per signa mentis, quæ vocibus correspondent: quod patet in interiori locutione per modum optantis. Nam si consideremus, quod sit ultimum significatum hujus internæ locutionis, *utinam hoc fieret*: illud certe non est, nisi desiderium voluntatis: et tamen locutio illa in intellectu est, quæ fieri non potest, nisi dicto modo: ergo similiter in proposito.

7. *An istud imperium ante vel post voluntatem existat.* — *Non est necessarium, sed utile.* — Sed quæres, an iste actus antecedit, vel sequatur voluntatem? Respondetur ex Augustino 8, lib. *Confess.*, c. 9, dicente: *Imperat sibi animus ut velit, qui non imperaret, nisi vellet*. Hoc ergo imperium, si efficax est et verum, absolutam voluntatem supponit. Nam si fiat sine ulla voluntate, est fictum et tantum verba: si vero voluntas, quæ antecedit, sit inefficax, ipsum etiam inefficax erit: et ratio est, quia tota efficacia movendi est a voluntate. Dices, Ad quid ergo est iste actus? Respondetur: non est quidem per se necessarius, ut voluntas, aut exterior potentia moveatur: tum quia voluntas antecedit, tum etiam, quia potest esse motio, ut experimur: tum etiam, quia nulla potentia percipit illud imperium,

nisi ipse intellectus: est tamen utilis iste actus, ut voluntas ipsa, et totus homo magis moveatur, vel ut citius aggrediatur executionem, vel constantius in ea perseveret, quia dum homo sibi ita imperat quasi supra seipsum reflectitur, et fit sibi superior: et denique quia ipsa locutio nescio quomodo vim habet movendi et incitandi animum.

8. *Quartum probabile in hac questione.* — *Probatum primo.* — Quartum, præter dicta iudicia practica, et istam locutionem, nullum esse actum intellectus, qui dici possit imperium, patet: quia nullus alius actus est necessarius neque ad movendam voluntatem, neque ad potentiam exequendam. Primum patet ex dictis, quia ostensum est, voluntatem vel sufficienter moveri dictis iudiciis practicis: vel etiam necessario, si aliquis actus in voluntate præcedat, cum quo alius actus necessariam connexionem habeat: quam connexionem intellectus per iudicium proponit. Secundum patet etiam, et ostenditur argumentis prioris sententiæ. Et constat ex Aristotele 3, de Anima, cap. ult., et ex D. Thoma, illa q. 17, a. 8, ad 1, potentias exequentes non applicari immediate, nisi ab appetitu.

9. *Probatum secundo.* — *Confirmatur.* — Præterea non potest intelligi talis alius actus. Nam omnis actus intellectus, vel est apprehensio, vel iudicium, vel locutio: et ratio est, quia intellectus essentialiter, et adæquate, est potentia cognoscitiva: potentia autem cognoscitiva duo tantum potest efficere, nempe cognoscere quod non fit, nisi apprehendendo et iudicando, et exprimere quod cognovit, nempe loquendo: ergo, etc. Confirmatur, quia quidquid voluntas efficit, efficit per modum potentiae appetentis: unde si movet, et applicat exteriores potentias ad opus, id non facit, neque potest, nisi appetendo et volendo: ergo similiter intellectus, quidquid operatur, efficit per modum potentiae cognoscitivæ: vel certe si non potest illi accommodari, tanquam cognoscenti, nullo modo potest fieri, etiam ad quæstionem de nomine pertinere videtur, cui istorum actuum accommodari debeat nomen, et ratio imperii, quæ est movere cum ordinatione.

10. *Cui actui competat nomen imperii prima assertio.* — Et dico breviter primo: usum voluntatis sæpe dici imperium, id constat ex D. Thoma 1, 2, q. 71, a. 6, ad 2 et 2, 2, q. 4, art. 2, ad 2, quibus locis voluntatis dicit esse imperare cæteris potentiis, etiam intellectui. Et eodem modo, ut dictum infra, unus actus

voluntatis imperatur ab alio actu ejusdem, ut actus misericordiae ab actu charitatis: et ratio hujus locutionis sumi potest ex dictis in prima sententia: et quia imperare est habentis dominium: voluntas vero est, quæ quasi habet dominium omnium actionum humanarum.

11. *Secunda assertio.* — Dico tamen secundo: actus intellectus dicitur imperium, et proprie illi convenit ratio hujus vocis. Hoc vult D. Thomas, in d. q. 17, a. 1, et patet, nam imprimis illa actio per modum imperantis manifeste continet rationem imperii, quia movet et ordinat. Patet etiam, quia simili modo imperamus aliis: et hoc modo videtur loqui Augustinus supra: tamen Aristoteles non loquitur de hoc imperio vero, sed de illo, quod simpliciter necessarium est ad actus prudentiæ, et exercitium virtutis. Et ideo Aristoteles tam judicium illud practicum, quod antecedit electionem, quam quod antecedit usum, vocat imperium: et ratio est, quia imperare non est quomodocumque movere, sed movere quasi imponendo legem: intellectus autem est qui legem ponit voluntati, quoniam judicat de agendis.

12. *Notatio prima.* — *Notatio secunda.* — Sed nota primo, multos in hoc fuisse deceptos, quia putant de ratione imperii intellectus esse, ut necessitatem inferat voluntati; et propterea non attribuunt hanc rationem judicio practico, sed alteri actui, quod falsum esse constat ex D. Thoma, art. 3 et 4, ad 2, et contra Aristotelem dicentem rationem imperare voluntati regendo et judicando: et ratione constat; quia non est de ratione legis, ut necessitatem inferat; ergo nec de ratione particularis imperii, quod quis sibi imponit, quod est quasi lex particularis. Et confirmatur: nam cum aliis imperamus: non inferimus illis necessitatem. Nota secundo apud Aristotelem cum distinguit imperium prudentiæ a judicio, nomine *imperii* intelligere illud judicium practice practicum, quod proprie antecedit usum tanquam ejus regula: neque vero intelligit hunc actum non esse per modum judicii: nam falsum id esse constat ex dictis. Constat etiam ex verbis ejus: nam dicit, illum actum esse conclusionem syllogismi practici: conclusio autem vim judicii habet, nam manifestat connexionem inter electionem factam et usum, seu exercitium actionis: et hinc habet vim ad determinandam voluntatem: nam revera si talis actus nihil denuo ostenderit voluntati, esset inutilis: distinguit ergo hunc actum a judicio, quia tota consultatio, et difficultas ferendi judicium

pendet ex consultatione, et judicio, quod post illam sequitur: facta autem consultatione, et judicio, jam difficultas non est, in cognitione, sed in exequendo; et per hæc constat, quid veritatis habeant sententiæ allatæ.

13. *An usus præcedat imperium.* — *Uno modo imperium præcedit.* — Et ex his facile solvitur quæstio, quam D. Thomas, art. 3 illius quæstionis 17, tractat: nempe an usus præcedat imperium? In qua breviter nota, voluntatem uti intellectu, et aliis potentiis, quia omnis actus liber ut sic, est a voluntate: loqui ergo possumus de usu voluntatis et imperio intellectus, prout directe tendunt ad directionem, seu actionem potentiæ exequentis: hoc modo constat, imperium eo modo, quo est in intellectu, antecedere usum ratione judicii practici. Quod satis ex dictis patet: ratione vero illius locutionis non necessario antecedere, sed quasi concomitanter. Notat vero D. Thomas illud imperium, seu judicium intellectus, etiamsi omnino practicum sit, sæpe natura tantum, nonnunquam vero etiam tempore antecedere usum, quia vel imperium non est efficax, vel voluntas non vult obedire, sed mutare, vel differre electionem: vel forte, quia potentia exequens est aliquo modo impedita. De ipso autem usu voluntatis dicit D. Thomas, nullo modo antecedere actionem potentiæ executivæ: quia omnino movet illam, et quia in genere moris non solum est principium effectivum ejus, sed quasi forma, et ideo censentur esse simul omnino.

14. *Alio modo subsequitur.* — Si autem loquamur posteriori modo, et consideremus ipsum imperium, quatenus actus liber est, necessario dicendum est, a voluntate procedere: atque adeo esse potest ad aliquem usum voluntatis. Sed oportet hic advertere, istum usum non necessario per actum formalem, et expressum, quo voluntas velit intellectui imperare, sed frequenter fieri solum virtuali usu: nam posita intentione efficaci finis, sæpe ex vi illius applicatur intellectus ad inquirenda media. Et similiter ex vi electionis applicatur ad cogitandum de executione ipsa, licet etiam interdum præcedere possit ille formalis actus voluntatis applicantis intellectum: quod maxime contingit in illo imperio, quod fit per interiorem locutionem: nam cum illud non sit ex natura rei simpliciter necessarium: vix unquam sequitur ex virtute alterius actus, sed ex formali voluntate sibi imperandi, sicut contingit in imperio; quo aliis imperamus. Unde fit, ut ante hanc voluntatem debeat

præcedere, et cognitio, et judicium, et consequenter quodammodo usus. Quapropter ne in infinitum procedatur, in aliquo virtuali usu intellectus sistendum est.

DISPUTATIO X.

DE ACTIBUS IMPERATIS VOLUNTATIS IN COMMUNI.

Imperium, ut ex superioribus constat, solum habet locum in actibus liberis; et ideo in brutis non reperitur, neque item amor, nec visio Dei imperatur, quia sunt actus necessarii. Quapropter illi dicuntur actus imperati proprie, qui a voluntate non immediate, et proxime, sed mediate libere procedunt; et isti actus distinguuntur communiter abolicis, quos ipsa voluntas proxime, et immediate elicit.

SECTIO I.

Utrum actus voluntatis et rationis imperentur.

1. *Satisfit primæ parti tituli.* — Quoad primam partem tituli D. Thomas 1, 2, quæst. 17, art. 5, affirmative respondet. Sed nota primo, actum voluntatis proprie esse elicatum non imperatum in ordine ad ipsam voluntatem, tamen in ordine ad intellectum dicitur imperatus eo modo, quo in intellectu est imperium. Nota secundo primum amorem, seu voluntatem finis non dici proprie actum imperatum, quia procedit a judicio minus practico, at quia nullum supponit actum voluntatis. Alii vero actus dicuntur etiam imperati, quia non a voluntate sola, sed ab alio etiam actu ipsius voluntatis procedunt; et hoc modo actus misericordiae dicitur imperatus a charitate, et ob hæc aliqui illi divisioni actuum voluntatis in elicitos, et imperatos tertium addunt membrum; eorum videlicet actuum, qui simul et imperati sunt, et eliciti, de quo vide Almainum, tract. 1, Moral., cap. 2.

2. *Prima assertio pro secunda parte tituli.* — Quoad secundam partem tituli, de qua etiam D. Thomas, supra, art. 6, dico primo. Actus rationis imperatur quoad exercitium a voluntate; hoc intelligitur, et constat ex dictis et experientia; sed excludendus est primus actus intellectus, ut supra dixi, et excludendi etiam sunt actus necessarii, qui præcipui sunt, et per se in intellectu separato; in conjuncto enim per se non reperitur necessitas, nisi in primo actu; interdum tamen contingit, ut propter aliqua impedimenta non obediat intellectus

voluntati: ut si motio sensus, vel phantasie sit ita vehemens, ut quasi rapiat intellectum; nam tunc vel voluntas non potest uti intellectu suo arbitrio, vel certe dum ipsa vult, id obtinet, quod vult, tamen statim intermittit actum intellectus; ergo revertere potest ad eandem cogitationem, si aliunde moveatur.

3. *Secunda assertio.* — *Objectioni satisfit.* — Dico secundo. Apprehensio intellectus non potest imperari a voluntate quantum ad speciem actus; est D. Thomæ et ratio est, quia posita specie in intellectu, quamvis sit in potestate hominis apprehendere, vel non apprehendere rem præsentatam, non tamen est in potestate voluntatis apprehendere hoc, vel illo modo, sed prout per speciem repræsentatur. Dices: etiam est in potestate hominis facere veram, vel falsam rei apprehensionem. Respondetur: potest quidem homo apprehendere rem fictam, ut chimeram: sed tamen illud non est variare speciem apprehensionis ejusdem rei: sed exercitium, quia illa jam non est apprehensio hominis, verbi gratia, vel alterius rei: sed est apprehensio fictæ, et quoad hoc est vera apprehensio.

4. *Tertia assertio.* — *Difficultas removetur.* — Dico tertio. Quando judicium intellectus est evidens, non pendet a voluntate in specie actus: est etiam D. Thomæ, id est, non potest voluntas movere intellectum nisi ad assensum rei evidentis, quia ad dissensionem non potest: ratio est, quia intellectus est potentia necessario agens quando objectum perfecte proponitur ut necessario verum: proponitur autem perfecte per lumen vel medium evidens. Sed occurrebat difficultas, quoniam interdum videtur voluntas movere intellectum ad credendum ea, quæ non manant ex principiis evidentibus. Respondetur negando assumptum, sed movet credendo, aliquas posse esse veritates secundum ista principia, quæ lumine naturali manifestantur: et hoc ipsum est fere evidens, quia constat, multas esse res, quas noster intellectus non comprehendit, præcipue Deum, et infinitam ejus perfectionem: et ideo contra ipsum judicium intellectus esset velle res ipsas omnes solo lumine naturali mensurare.

5. *Quarta assertio.* — *Probabile est intellectum semper assentire vero simili.* — Dico quarto. Quando intellectus non habet evidentiam de aliquo objecto, potest moveri a voluntate ad speciem actus, id est, ad assentiendum, vel dissentiendum: est etiam D. Thomæ. Ac materia hujus conclusionis latissima est, quæ